



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

2 Quas personas obliget hoc præceptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Chrysostr. mus enim Homilia 17. ad Hebræos de obligatione sacrificij, verbâ illa declarauit, idemq; indicauit Damascenus lib. 1. 4. cap. 14. nam illa ad consecrationem refert, dum ait, Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite, omnipotenti eius verbo hoc efficitur. Nec differt Cyprian. epist. 63. dicens, illo verbo præceptum esse à Christo, vt in offerendo, eum ritum seruemus; quem ipse seruauit. Idem vero Cyprian. in serm. de Coena Dom. videtur illud verbum Christi referre ad totam actionem, dicens. Ex quo à Domino dictum est, Hoc facite, panis ille solemnî benedictione sacra- tus ad totius hominis vitam; salutemq; proficit, si- mul medicamentum existens & holocaustum. *Cyrillus.* Cyrillus autem lib. 12. in Ioan. c. 58. intelligit illa verba de participatione huius mysterij, quam dicit à fidelibus accipi in passionis Christi commemorationem. *Basilii.* Basilii deniq; supra citato loco Moral. plane intelligit hæc verba de ipsa sumptione. Satis ergo probabili- ter præceptum hoc ex Scriptura & ratione colligi- tur, per quod fundamentum contrariæ opinionis sa- tisfactum est.

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc præceptum.

Quot quot baptizati- zatione uti possunt præcepto communicandi diuino obligentur

VNum est certum, scilicet, omnes adultos bap- tizatos, qui ratione uti possunt, hoc præcepto ob- ligari, quia omnes sunt capaces huius sacramenti & effectus eius, & possunt ad illud recipiendum per proprium actum disponi, & alioqui verba præce- pi generalia sunt, & sine exceptione. Ergo dubium non est, quin saltem has personas omnes compre- hendat. De cæteris vero quadruplex breue dubium occurrit.

Primum du- bium de non baptizatis

Primum est de hominibus nondum baptizatis, si- ue fideles sint, vt Catechumeni, siue infideles, de qui- bus Soto, distinct. 18. quaest. 1. art. 3. negat, eos obliga- ri hoc præcepto, quia ante Baptismum solum diui- num præceptum Baptismi obligat; & non aliud, sicut præcepta religionis ante illius professionem non obligant eum, qui ex voto tenetur religionem in- gredi. Et confirmatur, quia præceptum confessionis non obligat ante Baptismum: ergo neque Commu- nionis. Nihilominus verius existimo, præceptum hoc absolute obligare omnes homines, etiam non baptizatos & infideles. Ratio est, quia verba Christi sunt generalia. Nisi manducaueritis carnem filij ho- minis: Non enim loquebatur solum ad fideles seu Christianos homines, sed simpliciter ad omnes, qui audiebant, & per eos ad omnes, qui quouis tempore & loco futuri erant. Rursus potestas Christi ad leges ferendas, omnes complectitur: est enim diuina & vniuersalissima. Deinde, vt præceptum hoc obliget, non necessario supponit Baptismum: differt enim obligatio à sumptione: licet ergo sumptio, vt licite & cum fructu fiat, supponat Baptismum: obligatio tamen non est, cur illum supponat: quin potius potest etiam hoc titulo obligari homo ad Bap- tismum, vt possit præceptum hoc communicandi im- plemente: sicut, qui peccatit mortaliter post Baptismum, antequam confiteatur, iam obligatur ad hoc sacra- mentum suo tempore sumendum, quamuis sumere non possit, nisi confessione præmissa si potest, sci- licet, vt debite communicare possit. Atque hinc col- ligo, si Catechumenus in fine vitæ baptismum & Eu- charistiam voluntariè omittat, duc peccata com- mittere, quia duo diuersa præcepta diuina per sese obligantia violat. Statim vero occurrit interrogatio, an, si communicet & non baptizetur, impleat hoc diuinum præceptum communionis? Sed de hoc dicemus commodius disputatione sequente: nunc solum dicimus, valde materialiter illud implere ni- hilque illi deferuire ad vitandam culpam: grauius enim si sumendo delinquit, quam si omnino non su-

Præceptum diuinum communi- candi infideles etiam adultos quousq; etiam non baptizatos obligat.

Dubium dissoluitur.

mèret. Ad fundamentum ergo Soti negant assu- ptum: nam præcepta diuina obligare possunt, et- iam ante Baptismum, si aliunde non sit speciale im- pedimentum; vt patet de præcepto credendi expli- cite Incarnationem, vel Trinitatem, & de præcepto ipsiusmet Baptismi. Est enim eadem ratio de cæteris. Vnde Scotus, Richardus, Adrian. & alij, etiam præ- ceptum confessionis dicunt obligare infideles ante Baptismum, quia diuinum est, qui, licet in illa speciali materia falsum dicant, tamen in hoc, præsentî veri- tati fauent, quod censent, Baptismum non esse ne- cessarium, vt diuina præcepta obligent, quia potes- tas, à qua manant, est suprema & non supponit cha- racterem in subditis. Vnde non est simile illud de religione, quod Soto asserit, quia illa tantum sunt vel humana statuta, quæ solum obligant membra illius politici corporis, quæ per professionem vniun- tur: vel oriuntur ex speciali voto, quod non obligat, donec emittatur. Ad confirmationem negetur conse- quentia, quia non baptizatus non habet materiam confessionis, neque est capax illius, etiam si baptize- tur, quia neque etiam confiteri potest, donec aliquid post Baptismum peccet: sicut autem non potest ob- ligari quis ad peccandum post Baptismum, ita non potest obligari ad confessionem ante baptismum: & ideo ibi est specialis ratio, quæ non habet locum in Eucharistia.

Secundum dubium est de infantibus, sub quibus *Dubium 2.* perpetuo amentes, cuiuscunque ætatis sint, compre- hendimus, quos omnes clarum est, vel non esse ca- paces, vel certe excusari ab obligatione præcepti, nec de hoc inquirimus, sed an teneatur Ecclesia illis hoc sacramentum dare, prout nonnulli hæretici affirmant, quod Caietanus hic articulo. 12. tribuit Nestorio *Caietan.* & Pelagio: nescio tamen; vnde id sumserit, quia nec Cyrillus, nec Augustinus, nec alij antiqui hoc re- ferunt: V Valdensis vero Tomo 2. de sacram. cap. 91. *Valden.* huius erroris notat Armenos. Fundamentum supra insinuatum est, quia illa Christi verba: Nisi manducaueritis, tam generalia sunt, sicut illa: Nisi quis renatus fuerit: ergo, sicut hæc comprehendunt infantes, ita & illa. Confirmatur, nam ex multorum sententia sacramentum est medium necessarium ad salutem, non solum adultis, sed etiam paruulis, ex similitudi- ne etiam prædictorum verborum, & ideo Augustini *August.* huius vbique conatur, illorum verborum veritatem, etiam in infantibus saluare, vt patet epistol. 16. & 17. & lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 20. & libro 3. capit. 4. & sæpè alias: ergo etiam est infantibus sacra- mentum hoc necessarium, necessitate præcepti diuini: nam, sicut vnusquisque adultus tenetur accipere medium sibi necessarium ad salutem: ita tenetur Ec- clesia providere infantibus de remedijs eis necessa- rijs ad salutem. Tandem hac ratione antiqui Patres obseruarunt, ne hoc sacramentum negaretur in- fantibus, quia existimasse videntur iure diuino illis deberi.

Nihilominus certa fides est, hoc diuinum ius non *Hic præceptum extendi ad infantes vel amentes perpetuos, seu Ec- clesiam non teneri ad dandum illis hoc sacramen- tum. Ita definit Concilium Tridentinum sessio. 21. capit. 4. Nam licet solum dicat, hos paruulos nulla necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistia- communione, tamen intentio eius manifesta est, scilicet, infantes non obligari eo modo, quo obliga- ri possunt, scilicet aut necessitate medijs, aut neces- sitate præcepti, per pastores Ecclesiæ, aut per paren- tes suos: nam obligatio præcepti, quæ immediate obliget huiusmodi infantes, per se impossibilis est: vnde ad hanc excludendam non addidisset Con- cilium decretum illud. Atque hinc sumitur ratio à priori huius veritatis, quia hoc sacramentum non est medium necessarium infantibus, vt in superiori- bus late ostensum est, & Concilium in citato loco plane docet: sed Ecclesia tantum tenetur providere huius-*

huiusmodi personis media ad eorum salutem necessaria, non vero omnia, quæ possunt esse vitia: sed in his debet etiam ipsorum sacramentorum veneratio prospicere, ut idem Concilium, eadem sensio. capit. 2. significavit: ergo. Unde sumitur secundum argumentum evidens ex Romanæ Ecclesiæ vniuersali consuetudine, quæ satis declarat, obligatione hac paruulos non comprehendi: nam eis denegat Eucharistiam, etiam si in ea etate moriantur: & non agit contra diuinum præceptum: impossibile enim est, vniuersam Ecclesiam approbare errorem contra bonos mores, & præsertim in vñ & dispensatione sacramentorum, ut significavit Concilium citato loco, & traditur in cap. Ad abolendam, de hæretic. & latius in materia de iude. Tertio hinc etiam sumitur argumentum, declarans verba illa Christi, Nisi manducaueritis, solis adultis dicta fuisse: quia, cum non sint dicta propter necessitatem mediæ, sed præcepti, ad eos tantum diriguntur, qui sunt capaces præcepti: hi autem sunt tantum adulti. Ac propterea diuerso modo locutus est Christus Dominus in illis duobus locis: de baptismo, & de Eucharistia: nam de baptismo passus dixit, Nisi quis renatus fuerit: & non dixerit sermonem ad ipsos baptizandos, tantquam ad eos, qui intelligere poterant, & vim obligationis, & magnitudinem communicationis, quod nimirum amilluri essent vitam, nisi præceptum custodirent: sed ea tantum forma locutionis vsus est, quæ proprijsimè cadere posset in omnes homines, siue intelligere possent, aut præcepto obligari, siue non. De Eucharistia autem actiue loquitur, sermonem dirigens ad eos, qui audiebant, & percipere poterant vim præcepti, dicens, Nisi manducaueritis carnem filij hominis: non est ergo eadem ratio vtriusque verborum propriè intellectorum: Augustinus enim, quando verba illa ad infantes extendit, non secundum proprietatem, nec de hoc sacramento ea interpretatur, sed de spiritali Christi manducatione, quæ fit per vnionem fidei & charitatis: & ita dicit, paruulos manducare Christum, cum baptizantur; quia illi per fidem & charitatem vniantur. Fundamentum ergo contrariæ sententiæ expeditum iam est. Ad consuetudinem aut antiquam in superioribus ostensum est, non fuisse vniuersalem, sed quarundam Ecclesiarum, præsertim Græcarum: deinde fallum est, illam consuetudinem, qualiscumque fuerit, ortam esse ex necessitate seu obligationis existimatione, sed vtilitatis tantum, & cuiusdam pietatis. Unde ex illa consuetudine solum potest colligi, non esse per se malum, dare hoc sacramentum paruulis, vel amentibus: atque adeo, seclusa Ecclesiæ prohibitione esse licitum: non vero, quod sit necessarium. Nunc verò in Ecclesia Latina non solum necessarium non est, verum etiam nec licitum: nam ita est hæc consuetudo introducta, vt prohibitionem induxerit: iam enim existimatum est, considerata personarum & temporum qualitate ad debitam huius sacramenti venerationem ita expedit. Hic verò occorrebat dicendum, quando incipiat hoc præceptum obligare eos, qui ad vñ rationis perueniunt; sed de hoc diceretur commodius disput. seq.

Tertium dubium.
Tertium dubium est de adultis, qui ratione vsi fuerunt: iam vero in phrenesim, vel amentiam inciderunt: de quibus, si infirmitas illa non est perpetua seu continua, & tempore, quo durat, non occurrat necessitas, certum est, non esse tunc eis dandum Sacramentum, sed expectandum esse, vt ad saniorum mentem redeant: quia hoc debetur reuerentiæ Sacramenti, vt à fortiori patebit ex dicendis. Difficultas ergo est, quædo dispositio illa perpetua censetur, aut quando, ea durante, necessitas communicandi occurrit. Duo autem possunt inquiri: primum, an liceat: secundum, an necessarium sit eos communicare. Aliqui ergo Theologi negant licere, Alenf. 4. p. q. 49. memb. 4. Gabr. d. 9. q. 2. dub. 4. Fundamentum est. Franc. Suarez. Tom. 3.

se potest, vel quia hoc est contra reuerentiam sacramenti, Paulus enim 1. ad Cor. 11. ad dignam summptionem, requirit, vt prius homo probet se ipsum, & ideo indigne videtur sacramentum tractari, quædo ei datur, qui se probare non potest: vel quia hi homines existimantur incapaces effectus huius sacramenti: nam sacramentum non licite datur ei, qui indispotus est ad effectum suscipiendum: antecedens probari potest, quia ad effectum huius sacramenti, necessaria est actualis dispositio recipientis. Dico tamen, certum in primis esse, hoc non esse licitum. Ita D. Th. hic a. 9. & alij statim citandi: & præter iura, quæ D. Th. citat, est obseruanda generalis regula ex c. Quod in te, de pœnit. & remission. vbi sic dicitur, In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt neq; ipsum decedentibus denegetur: sunt aut frequentissima iura, in quibus statuitur, vt pœnitentia non negetur ægrotis, qui in phrenesim inciderunt, si consulerit, prius confessionem desiderasse, & signa contritionis dedisse: ergo intelligendum est, in eodem casu dandum esse illis viaticum, quæ consuetudo colligitur etiã ex Concil. Tolet. II. c. 11. ibi n. supponitur, interdum licite dari Eucharistiam ijs, qui à propria mente alienari sunt. Ratio autem est, quia hoc nullo iure positio prohibetur: nullum enim tale extat, aut ostendi potest: neq; est per se, & natura sua malum, fundamenta vero contrariæ sententiæ valde debilia sunt, & ex falsis principijs procedunt, & si quid probarent, etiam concluderent; non licere; infantibus Eucharistiam dari, quod omnino falsum esse supra est ostensum. Imo hinc potest à fortiori conici argumentum: nam, si per se & intrinsece non est malum, dare Eucharistiam infantibus, & perpetuo amentibus, multo minus erit malum eam dare ijs, qui aliquando ratione vsi sunt. Secundo vero addendum est, hoc non solere fieri ab Ecclesia, nisi in mortis periculo, & tunc non solum licere, sed etiam debere ita fieri à pastoribus Ecclesiæ. Hoc sumitur ex Diuo Thoma, & ex vsu Ecclesiæ. Et ratio est, quia, vt Concilium Tridentinum supra citato loco dixit, in sacramentorum dispensatione duo, quoad fieri possit, coniungenda & procuranda sunt: scilicet, sacramenti veneratio, & fidelium vtilitas: quod ergo extra casum necessitatis non detur Eucharistia huiusmodi hominibus, spectat ad venerationem debitam huic sacramento: quia non decet, vt hi, qui non possunt cum propria deuotione accedere, sine grauissima causa fiant tanti sacramenti participes, quod vero in eo articulo non negetur sacramentum huiusmodi hominibus, eorum exigat vtilitas, & nulla sit irreuerentia sacramento: nam id facile caueri potest, vt statim dicam. Est autem specialis ratio, ob quam hi potius, quam perpetuo amentes, hoc beneficio fruantur: quia hi iam fuerunt re ipsa obligati præcepto accipiendi Eucharistiam, à qua obligatione semper alij fuerunt excusati: hæc autem obligatio maxime vrget in mortis articulo, vt dicemus: vnde, si huiusmodi homines statim suum & periculum aduertissent, debuissent per Eucharistiæ susceptionem sese præparare, quod ergo propter impotentiam, vel naturalem inaduertentiam non impleuerunt, merito in eis per Ecclesiam impletur: vnde etiam fit, vt hi homines vel explicite, vel saltem implicite, hoc sacramentum petierint, & petendo, speciale ius ad illud acqviserint, quod merito Ecclesia in eis obseruari vult: hoc autem locum habere non potuit in his, qui nunquam ratione vsi potuerunt. Denique hi homines potuerunt peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantum attriti, & nondum perfecte contriti, vnde fieri potest, vt per Eucharistiam efficiantur contriti ex opere operato: quæ vtilitas, vel potius necessitas, locum non habet in alijs, semper carentibus vsu rationis. Nec refert, si dicas, illud beneficium sufficienter conferri per

Amentibus
qui aliquando
rationis
vsu caris
sunt, Eucharistiam dare,
illicitum non est.
D. Thom.

Conc. Tolet.
xi.

Imo in mortis articulo
salub. amentibus dare
debet.



absolutionem: vel Extremam vñtionem, contingere enim saepe potest, vt neutrum horum sacramentorum applicari possit: possit autem Eucharistia, vt, si iam consecrata sit, & Diaconus adit, non autem Sacerdos. Quod si tunc danda est, cur non etiam, quando simul absolutio. Extremaque vñctio possunt applicari? quia, licet videatur minor esse necessitas, est tamen maior dignitas suscipientis, & maxima utilitas. In quocunque ergo mortis articulo certissimum est, hoc licere. Quod tamen sit etiam debitum, & pastoribus præceptum non est ita clarum, & ab authoribus expressum: mihi autem omnino verum esse videtur, tum quia citata iura plane videntur hoc præcipere: tum, etiam, quia sic agrotans habet ius ad hoc sacramentum, & immerito illo priuatur.

Prima sententia fundamentum dicitur.

Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ negatur, in hoc heri irreuerentiam sacramento: nam, vel est sermo de irreuerentia corporali & extrinseca, quæ contingere potest, per vomitum, expuitionem, aut quid simile: & hæc non semper adiungitur, sed cauenda est, & quando moraliter timetur periculum eius, à sacramenti administratione abstinendum est: aut est sermo de irreuerentia spirituali & intrinseca: & hæc etiam nulla necessaria est, nam, licet huiusmodi homo tunc non possit probare seipsum, potuit tamen prius, quam in phrenesim incideret, & iuxta dispositionem, quam tunc habuit, poltea iudicandus est; & ideo tunc potius pertinet ad pastorem Ecclesiæ, probare illum, eiusque dispositionem examinare: nam, si de eo non constat, prius fuisse in statu peccati mortalis, præsumendus est bonus, qui malus non probatur; si autem constiterit, peccasse mortaliter, oportet vt confiter, vel fuisse confessum, si potuit: vel, si non potuit, saltem signa contritionis dedisse: ad quod sufficere vnum vel aliud fide dignum testimonium, vt ex prædictis Concilijs sumitur. Itaque, quocunque probabili fide credatur esse bene dispositus, id satis est, vt recte docent Paludanus distinctione 9. questione 4: Syluester, verbo, Eucharistia. 3. num. 7. & in Catechismo Pij V. his verbis declaratur. Si, antequam in insaniam inciderint, piæ & religiosæ animi voluntatem præ se tulerint: ex quibus verbis aliqui colligunt, necessarium etiam esse, vt hoc sacramentum petierint, quod significant Armilla, verbo Communio, num. 25. & Victoria in Summ. num. 48. Ledesma quaest. 21. art. 9. dub. 1. Sed, si hoc intelligant de expressa petitione, non est necessarium in re fauorabili hoc grauamen adiungi: sufficit enim implicita petitio, quæ in ipsa contritione, & signis eius includitur, quatenus includit voluntatem implendi omnia præcepta; imò, dum contrarium non constat, nullus est, qui non velit, vt Ecclesiæ ei in necessitate subueniat remedijs ad salutem tam opportunis, & quasi necessarijs. Vnde altera pars illius fundamenti falsissimo nititur principio; sunt enim hi capaces effectus huius sacramenti, multò magis, quam infantes: neq; actualis deuotio est necessaria, vt supra probatum est.

Dub. de E.nergumen. Dignif. D Thom.

Cassian. Tim. Alex.

Quarto loco dubium est de energumenis seu obsessis à dæmone, de quibus Dionys. c. 3. de Ecclesiast. Hierarch. par. 2. negare videtur esse illis dandum hoc sacramentum, quem D. Thom. hic ad secundum interpretatur de energumenis, nondum baptizatis: nam de baptizatis ait, idem seruadum cum illis esse, quodcum cæteris amentibus: nimirum, quod, si absque periculo irreuerentiæ communicare possint, nõ est illis Eucharistia deneganda: nam eius virtute, & auxilio, aut dæmon expelletur, si ad hominis bonum expedit, vel certè iuuabitur homo, vt patienter, & cum fructu, laborem suum sustineat, quam doctrinam refert D. Thomas ex Cassiano, qui videri potest collatione 3. capit. 30. vbi nonnulla miracula refert. Sicetiam Timotheus Alexand. in suis responsionibus, cap. 3. dicit, obsessos à dæmone communican-

dos esse non singulis diebus, sed statim temporibus; in Concil. autem Elibert. dicitur. Qui à spiritibus immundis vexatur, si in fine mortis fuerint constituti, & fideles fuerint, dandam eis esse communionem: quibus verbis significatur, solum in illo necessitatis articulo communicandos esse: sed Concilium non addidit particulam exclusiuam; & Timot. Alex. latius loquitur, dicens (statim temporibus) & D. Tho. ac Cassian. generatim loquuntur: quare non est hoc nimum restringendum, sed prudenti arbitrio pastoris relinquendum est: nam, si obsessus omnino priuatur rationis vsu, seruanda est regula de amentibus polita: si vero est compos sui, tantumq; corporaliter vexatur, illa solum est, quali quædam corporalis æritudo; & ideo per se non impedit, quo minus Eucharistiæ auxilium & solacium sapius his hominib. conferatur. Sed obijci potest canon. 39. eiusdem Concil. Elibert. vbi statuitur, Emergumenum, qui ab extrinseco spiritu exagitur, huius nomē neq; ad altare cum oblatione esse recitandum, ergo multo minus illi erit danda communio. Sed cum Concilium non sitibi contrarium, exponendum videtur de his energumenis, qui propter publica aliqua scelera, publicè etiam à dæmonibus vexantur, & ab Ecclesiâ excommunicantur, iuxta illud Paul. 1. ad Cor. 5. Iudicium tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

SECTIO III.

Quando obliget hoc præceptum ex vi solius iuris diuini.

PRIMA sententia esse potest, tantum obligare semel in vita, siue id fiat in mortis articulo, siue antea; ita tamen, vt, si prius expleta fuerit obligatio, iam amplius non obliget, etiam in mortis articulo. Ita opinatur Caietan. in Summ. verbo, Communio, quem sequitur Ledesma, quaest. 21. art. 11. in fine, & Victor. in Summ. num. 86. idemq; prius insinuerat Palud. in 4. dist. 9. quaest. 1. num. 16. qui consequenter ait, etiam nunc ex vi præcepti Ecclesiastici, non obligat hominem ad communionem in articulo mortis: quocunque anni tempore succedat, si tempore Pæschatis iam communicauit, quia per hoc impletur præceptum Ecclesiasticum, simulque diuinum. Ratio verò huius opinionis est, quia tota obligatio huius præcepti diuini nititur illis verbis, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, sed in rigore sit satis veritati horum verborum, semel in vita communicando, quocunque tempore id fiat, sicut per vnicum baptismum satisfacit homo præcepto in illis verbis contèto, Nisi quis renatus fuerit: & vnica confessione eorundem peccatorum satisfacit illis veris; Quorum remisistis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt. Et confirmatur, quia, cum hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat pro semper, & seclusa determinatione Ecclesiæ, nulli potest tempus rationabiliter designari, pro quo obliget: ergo per se non obligat vsq; ad articulum mortis; nam præcepta affirmatiua, quæ non designant tempus, tantum obligant tempore necessitatis, vt est communis doctrina: solus aut articulus mortis potest, quoad hoc dici tempus necessitatis, quando nulla communio antea præcessit, quia in hoc tantum casu imminet periculum transgrediendi totam vitam sine communione; antea enim semper potuit aliud & aliud commodum tempus expectari. Atq; eadem ratione è conuerso, si antea quis communicauit, illum non obligat necessitas articuli mortis, cum iam præceptum impleuerit. Et confirmatur hoc vltimum, quia nullum potest assignari diuinum ius, in quo specialiter præcipiatur communio in articulo mortis, etiam si prius facta fuerit, alioqui non posset Ecclesiâ priuare hominem in illo articulo communionis viatico, quia non potest Ecclesiâ ius diuinum violare, cum tamen constet, saepe Ecclesiâ hoc fecisse, vt refert Innoc.